15

Catholica

DE FIDE, ET IN-FIDELITATE DISPVTATIO:

ANNO, POST VIRGINIS PARTVM, M.D.LXXI. in actu Doctorali Reuerendi, ac Clariſsimi viri, Domini ALBERTI HVNGERI, SS. Theologiæ Licentiati, publicè propoſita.

AD HEB. XI.

Sine fide impoßibile eſt placere Deo.

AD TIT. III.

Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt.

CHRISTO DVCE.

Diſcutientur hæ Theſes in Academia Ingolſtadiana ad Sept. Idus Iulias.

Biblot. Secr. Coll. Romi Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE M.A ROMA

INGOLSTADII,
Ex Officina VVeiſſenhorniana,
M.D.LXXI.

CVm non deſint hoc tempore, qui ſua quemq; fide beatum fieri poſſe contendant: non ſine cauſa quæritur: aliané quiſpiam, quàm Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ fide, ad ſalutis portum peruenire queat?

CONCLVSIO.

1. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo, ad Heb. 11.*

2. *Vnus eſt Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, & pater omnium. ad Epheſ. 4.*

3. *Hæc una autem fides, ſine qua nemo Deo placere, nulla perfecta uirtus, aut uitæ opus integrè conſiſtere poteſt, eſt fides Petri, & ſucceſſorum eius: atq; adeo Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Simon (inquit Dominus) Sathanas expetiuit uos, ut cribraret, ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando cõuerſus confirma fratres tuos. Luc. 22. Et ad Rom. Apoſtolus rurſum: Gratias ago Deo meo pro omnibus uobis: quia Fides ueſtra annuntiatur in uniuerſo mundo. Cap. 1.*

DE CATHOLICÆ FIDEI RAtione, eiuſdemq; origine, ac fæcunda prole &c.

THESIS I.

CVm Deum, vt par eſt, colere, qui eum neſciat nullus omnino poſsit, neceſſe eſt virtutum omnium primam eſſe fidem.

II. Eſt

II.

Eſt autem fides duplex, altera diuina, altera humana: Hæc humanæ, illa diuinæ authoritati. vt fundamento, innititur.

III.

Et quoniam homo nec ſummè bonus, nec ſummè ſapiens eſt, Deus autem vtrunq; excellenter eſt, fit, vt humanæ fidei falſum ſubeſſe queat, & interdum etiam ſubeſſe ſoleat: diuina autem fides, nec fallit vnquam, nec fallere poteſt.

IIII.

Quamobrem licet fides virtus ſit, qua id creditur, quod non videtur, (eſt enim ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium) non ideo tamen ſcientia, quæ naturali lumine, de Deo haberi poteſt, inferior exiſtit: quin potius multis eam modis, non ſolùm certitudine, vtilitate, ac neceſsitate, verùmetiam dignitate, ac perfectione excedit.

V.

Hæc etenim non ſolùm in theoricis, & practicis permulta aperit, ad quæ naturalis mentis acies nullo modo pertingit, verùmetiã multo hac ipſa communior, multoq; ad hominum ſalutem aptior, & ad vitæ praxim accommodatior exiſtit.

VI.

Mitto hîc non pauca eorum, quæ aliâs ſub humanæ ſcientiæ conſiderationem cadunt: vt ſunt mundi, præcipuarumq; partium eius exordium; humani ſpiritus ortus, eiuſdemq;, poſt vitæ huius curriculum ſtatus: cœleſtium mentium origo ac functio: aliaq; id genus ſimilia, multo certius, multoq; facilius per fidem haberi, quàm per vllam omnino ſcientiam, aut humanam inueſtigationem.

VII.

Principia, quibus mortalium animus ad credendum inducitur, atque adeo ex quibus fides tanquam ex primis ſuis cauſis exoritur, ſunt duo; alterum internum, alterum externum.

VIII.

Internum, eum Spiritus ſancti motum hoc loco appellamus, tametſi non ſolùm, quo humanus ſpiritus occulta quadam vi ad aſſentiendum excitatur: Externum eorum, quæ credere oportet, propoſitionem.

IX.

Sunt, qui vitæ ſanctimoniam, editaq; in cœleſtis doctrinæ confir-

macionem prodigia, huc quoq; referenda exiſtiment: Sed quoniam neutrum horum ad conciliandam fidem abſolutè eſt neceſſarium: (Conſtat enim haud multo pauciores eſſe, qui fidelium conuerſioni inſudant, quàm qui miraculorum virtute, aut vitæ ſanctimonia polleant) rectius hæc principij iam aſsignati comites appellantur, quàm externa, vel per ſe principia.

X.

Verum vt nuda credendorum propoſitio, ad progignendam fidē inualida fuerit, niſi ſpiritu ſuo adſit Chriſtus, qui mentem interius lumine ſuo perfundat, & voluntatem ad ſe trahat: ita internus hic Spiritus ſancti motus, quantumlibet per ſe validus, incaſſum laborauerit, niſi homo internum conſenſum præbeat.

XI.

Cæterum quod tria hæc, quæ ex æquo ferè ad fidei exortum conuenire iam indicauimus, non æquè ſemper magna exiſtant in omnibus, ſed in alijs maiora, in alijs minora, fit, vt alijs obtingat fides firma, & magna: alijs è diuerſo modica & infirma.

XII.

Vt magna, ac firma fide potiâre, opus eſt magna diuini ſpiritus virtute, quæ voluntatem corrigat, & intellectum illuminet: opus eſt nihiloſecius magna eiuſdem voluntatis pietate, & ad aſſentiendum promptitudine: opus eſt deniq;, ſi non magna, certè nonnulla illius, qui fidei myſteria proponit, authoritate. Nec enim temere crediderit quis, tametſì abſolutè credere queat, homini futili, nullam grauitatē, nullam vitæ integritatem præſeferenti.

XIII.

Porrò autem, vt diuini ſpiritus illapſus ſit potens, humanæq; voluntatis affectus ardens, & vita, quo ad eius fieri poteſt, innocens, opus eſt plærunq; magno proficiendi deſiderio, ac ſtudio: opus aſsidua prece, animiq; contentione: opus, vt verbo abſoluam, magna vbiq; cura, molimine, atq; attentione.

XIIII.

Eſt quidem fides, gratia quædam gratis data: ſed non ideo tamen effunditur ſimpliciter, ſed pro cordis cuiuſq; latitudine, atq; capacitate infunditur: poteſtq; hæc animi latitudo, & latitudinem conſecuta fides, aſsiduo precandi, recteq; agendi ſtudio, in eam paulatim perfectionem excreſcere, vt certa quadam ratione, etiam in hoc ſeculo, ea deguſtentur, quæ antea credebantur tantum.

XV, Faten-

XV.

Fatendum eſt tamen, eiuſmodi guſtum, ſiue mentis ſit, ſiue cordis, ſiue vtriuſq; ſimul, nec fidem eſſe propriè, nec fidei partem: vt qui in futura vita non aboleatur, vt fides ſolet, ſed perficiatur: vtpote pars quædam exigua illius vitæ exiſtens. Solet tamen eiuſmodi cœleſtium experientia, & prægustatio, fidei habitum maiorem in modum confirmare.

XVI.

Quî fides in adultis progignatur, expoſitum eſt paucis: in infantibus autem, & cæteris omnibus, qui nihil omnino ſapiunt, nec per ætatem, vel amentiam ſapere poſſunt, ſola virtute diuina procreatur, & conſeruatur: regenerationis tamen Sacramento hinc non excluſo, ſed incluſo.

XVII.

Idem de adultæ ætatis ſurdis, & mutis ſtatuunt quidam: ſed id nec propriè ſatis, nec omnino etiam verè. Nam etſi fides per auditum, & verbum Dei eiuſmodi hominibus obtingere non queat: poſſunt tamen nutibus, & corporis geſtibus edoceri: poſſunt præterea ex quotidiano vſu, & familiari cum Chriſtianis conſuetudine, nonnulla ex his, quæ fidem concernunt, per ſe deprehendere: poſſunt deniq; ex mundi magnitudine, & pulchritudine, opificis eiuſdem ſapientiam, bonitatem, virtutem, cæteraſq; illius perfectiones ratiocinando vtcunq; colligere: præſertim cum admodum probabile nobis fiat, Deùm Opt: Max: pro ſua immenſa in genus noſtrum clementia, id interiori mentis illuſtratione, & ſupernaturaliter in illis cōpenſare, quod naturæ vitium negauit, vel impertiri non permittit.

XVIII.

Iam verò quænam, & quibus credere oporteat, id ex his, quæ de fidei origine, & ratione hactenus in medium allata ſunt, nullo negotio definire licuerit. Etenim ſi formalis fidei ratio, & quaſi baſis eiuſdem, eſt diuina vox, vel reuelatio, cuicunq; tandem illa certò obtigerit, (neq; enim Deus per ſeipſum tantum loquitur, verùm etiam per Angelos, Prophetas, Apoſtolos, Pontifices, Doctores, imò etiam per aſinam. Balaam, & Caipham:) ſi rurſum externum eiuſdem principium eſt Dei verbum, ea, qua oportuit vi, & ratione propoſitum: ſi cauſa deniq; eiuſdem interna eſt ſuauis Spiritus ſancti impulſus, planum fit, ea omnia abſq; vlla animi hæſitatione credenda eſſe, ad quorum aſſenſum, diuinus ille ſpiritus per fidei habitum impellit.

XIX.

Tum ea rurſum omnia & ſingula, quæ idem ille ſpiritûs per ſe, vel per alterum Eccleſiæ reuelauit: ſiue ea in literas relata ſint, ſiue viua tantum voce tradita: vtraq; enim, vt eodem è fonte ceciderunt, ita apud orthodoxè inſtitutos, in pari honore, & authoritate habentur: Nec enim omnia, quę Chriſtus, Apoſtoli, vel Prophetæ docuerunt, emortuis chartis commiſſa ſunt, aut committi potuerunt: alioqui enim ſacrorum codicum numerus in immenſum excreuiſſet: ſed præcipua rerum & myſteriorum capita tantùm.

XX.

Cæterum quòd Deus non æquè clarè, nec æquè etiam immediatè loquatur omnibus: fit, vt non omnes omnia, quæ iam in ſe, vel in altero Eccleſiæ patefacta ſunt, æquè expreſsè, atq; articulatè credere, ac profiteri teneantur: ſed pro cuiuſq; ætate, ſtatu, vel ordine, alios alia expreſsius, articulatiusq;.

XXI.

Enimuero periniquum foret, id ea in re exigere à Barbaro, quod meritò hîc exigi poterat à Iudæo: ab hoc rurſum, quod ab homine Chriſtiano, tametsi rudi: ab hoc deniq;, quod à Theologo, vel Eccleſiæ profecto. Sunt. n. etiam inter eos, qui Chriſtiano nomine cenſentur, qui hic quinq; talenta acceperunt: ſunt, qui duo tantum: ſunt, qui vnum duntaxat: cui aũt multum donatum eſt, multum vtiq; exigetur ab eo.

XXII.

Debent tamen ad vnum omnes, etiam ij, qui inter eos hebetiſsimi exiſtunt, modis omnibus eniti, vt, quoad eius fieri queat, præcipua Chriſtianæ religionis myſteria non ignorent: cuiuſmodi ea ſunt, quæ in Apoſtolorum Symbolo continentur: tum ea etiam omnia, quæ ad Chriſtiani hominis officium ritè obeundum ſimpliciter neceſſaria cenſentur. Cætera autem, quæ inculpatè ignorare licet, ita ignorent, vt tamen oppoſitum pertinaciter non credant, aut proteruè defendant, alioqui enim certiſsimam fidei iacturam facerent.

XXIII.

Ad fidei porrò actus, quod attinet (nam de his quoq; nonnulla attingenda videbantur) ij duo tantum, poſt Apoſtolum, à Theologis aſsignantur: alter interior, alter exterior. Corde (inquit Apoſtolus) creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem.

XXIIII.

Internum fidei actum, hoc eſt, credere, D. Auguſtinus tripartitò diuidit:

uidit: nempe in credere Deum, Deo,& in Deum. Deum,& Deo ex æquo credunt boni,& mali: vtriq; enim,& Deum eſſe, & in omnibus dictis,pactiſq; ſuis veracem eſſe cognoſcunt: in Deum autem ſoli iuſti credunt: ij enim ſoli ita ipſum,& ipſi credunt, vt ſimul etiam corde, & dilectionis affectu in ipſum tendant.

XXV.

Altero, hoc eſt exteriori fidei actu ea palàm profitemur, vel ſi res ita poſtulat, prudenter diſsimulamus, (nam vt veritatem clam interdum habere licet, nunquam tamen mentiri, ita etiam fidem) quæ firmo, catholicoq; aſſenſu de Deo, diuiniſq; rebus perſuaſum habemus; ſiue id fiat ore, ſiue opere, ſiue alia quacunq; aperta teſtificatiõe.

XXVI.

Dici tamen poſſet, eiuſmodi externam fidei profeſsionẽ, ad alterã quandam voluntatis virtutem, puta ad fidelitatem, quàm Deo debemus,& per quã fidẽ eiuſdẽ voce,& opere profiteri obligamur, nõ minus, imò magis pertinere, quàm ad infuſam fidem, infuſæue fidei functionem.

XXVII.

Quemadmodũ diuinæ fidei duplices aſsignantur cauſæ, totidemq; actus, ita duplices quoq; effectus eidẽ aſsignare liceat: alios internos, alios externos.

XXVIII.

Ad exteriores fidei effectus pertinet, ſanare infirmos, imperare dæmonibus, exuſcitare mortuos, mundare leproſos, cæteraq; id genus miracula in Chriſtianę religionis cõfirmationẽ ædere. Nã & hãc quoque poteſtatem, qui firmiter in ipſum crederent, impertitus eſt Chriſtus. Si (inquit) habueritis fidem, ſicut granum ſinapis &c.

XXIX.

Eadem fides interiores actus ſortitur non minus vtiles, & admirabiles: nam & credentem inducit ad ſalubrem Dei timorem, ad peccatorũ odiũ, & deteſtationem: ad certã veniæ, diuinæq; miſericordiæ fiduciam, ad conſpicuam deniq; totius vitæ emendationem.

XXX.

De vtriſq; effectis mirabilia quodam in loco prædicat Apoſtolus: Sancti (inquit) per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiã, adepti ſunt repromiſsiones, obturauerunt ora leonũ, extinxerunt impetuum ignis, effugauerũt aciẽ gladij, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos &c. Præpotenti Deo, vnde hæc tam admirabilia procedunt, ſit laus, & honor in perpetuas æternitates. Amen.

DE

DE INFIDELITATE SECVNdum ſe, eiuſdemq; partibus, & periſtaſibus.

Pars Secunda.

THESIS I.

IAm quæ infidelitatis ſit ratio, quod eius ſubiectum, quæ cauſæ, qui actus, quæ item effecta, id ex his, quæ de fidei ratione, eiuſdemq; ſede, ac ſobole, nec non de fidelis ſerui functione, in prima diſputationis huius parte expoſita ſunt, haud difficulter collegerit vel mediocriter in hoc argumenti genere verſatus.

II.

Etenim ſi is demum verè fidelis, ſyncereq; Catholicus cenſendus eſt, qui ea omnia, & ſingula firmiter, abſq; vlla animi hæſitatione credit, colit, &, quo ad eius fieri poteſt, ſtudioſe obſeruat, quæ ſancta, Romana, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia credenda proponit, conſequens fit eum eſſe infidelem, qui horum omnino nihil, vel partem tātum credit, vel in vera fide dubius exiſtit.

III.

Qui nihil omnino credunt, hi communi notione pagani, vel barbari appellantur: qui verò in partem tantum, Iudæi vel Hæretici: inter quos eos etiam reijcimus, qui de horum aliquo, vel aliquibus pertinaciter dubitant.

IIII.

Inter Iudæos & Hæreticos, præter cætera, hoc intercedit, quód hi fidei Chriſtianæ in re, & veritate traditæ, ex inſtituto, ac pertinaciter aduerſentur: illi verò eidem in vmbra tantum, ac figura receptæ obfirmato animi ſtudio refragentur. Et quoniam hoc illo leuius eſt, fit vt ægrius multò futurū ſit hæreticis in die iudicij, & apud inferos, quám Iudæis: & his rurſum, quàm paganis, dummodo tamen cætera, quæ eiuſmodi ſectæ in vita deſignarant, non ſint diſsimilia.

V.

Paganorum, qui neutro modo fidem profeſsi ſunt, nec quicquam omnino rectè credunt, non vna omnium eſt ratio: Sunt enim, qui de Catholica fide, ac religione nihil quicquam audiuerunt vnquā, nec adhibita, quam oportuit, diligentia, audire potuerunt: Sunt alij, qui auditam

auditam contempſerunt, vel vt audirent, nullum omnino ſtudium adhibuerunt.

VI.

Prioribus infidelitas pœna eſt, non etiam noxa. Vnde ſi iſtiuſmōdi damnantur, vt plerunq; ſolent, nō propter infidelitatē æterno ſupplicio adiudicantur: vt quæ illis inuoluntaria ſit prorſus, & inuincibilis, ſed propter alia flagitia contra legem naturæ admiſſa. Notum eſt enim illud Chriſti: Si non veniſſem, & locutus ijs fuiſſem, peccatum non haberent.

VII.

Poſterioribus infidelitas in noxam vertitur, & in eam quidem minimè leuem, tametſi non in maximam ſimpliciter: grauius eſt enim Deum ſua culpa ignorare, quàm in agnitum odio ferri, vel de agniti fide, & miſericordia animo pendere.

VIII.

At non omnis qui Euangelij vocem citra fidem audit, contrariæ infidelitatis noxa ſtatim ſeſe obligat, ſed is ſolùm, qui ea, qua par erat, vi & efficacitate inuulgatam, citra fidei aſſenſum audit.

IX.

Etenim ſi Inſulani homines ad primam mox Euangelij buccinam, abſq; vllo cœleſti ſigno, abſq; vlla vitæ ſanctimonia, abſq; vllo alio euidenti, vel efficaci argumento perſtrepentem, ſimpliciter credere obligantur, ita vt hoc ipſo lethaliter committant, quod Chriſtianā religionem veram eſſe ſimpliciter denunciantibus, non credant ſimpliciter, obligantur etiam Iudæis, & hæreticis ſomnia ſua crepantibus buccis occinentibus credere: ſed quis mente valens hoc dicat, aut credat? An non ſcriptum extat: Qui citò credit, leuis eſt corde: Rurſum: Nolite omni ſpiritui credere. Item: Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent?

X.

Verum ſi ea vi, & modo, quo oportet, fidei myſteria ipſis proponantur, amiceq;, & crebrò rogari, vt patienter audiant, ſeſeq; de erroribus, quibus tenentur, grauiſsimis, & apertiſsimis informari ſinant, audire detrectant, aut ſi audiunt, aſpernantur tamen audita: nullum amplius dubium relinquitur, quin nefario infidelitatis ſcelere ſeſe obſtringant: vt qui iam ſaluti ſuæ apertè repugnent. Nec enim aliud homini relictum eſt oſtium, per quod in æterna illa tabernacula ingrediatur, quàm viua fides in Chriſtum: in Chriſtum autem credere,

niſi adſit, qui eum annunciet, id via ordinaria nullo modo fieri poteſt. Quomodo (inquit Apoſtolus) credent ſine prædicante?

XI.

At ſitnè iam olim Chriſtiana fides, cum in orbe nouo, tum in alijs quibuſdam Inſulis, ea vi & ratione propoſita, vt Inſulares nullã amplius tergiuerſandi, vel infidelitatis ſuæ excuſandæ cauſam habeant, id noſtrum non eſt definire. Sat nobis ſit, vt ijs in locis non defuerũt iam pridem, nec deſunt hodie, qui Chriſti fidem integrè denunciant, fideiq; doctrinam egregia vitæ ſanctimonia confirmant: ita è diuerſo non deeſſe alios quoſdam, qui inſigni improbitate, grauiſsima ijſdem illis Inſularibus offenſacula præbeant. An autem hæc noſtratium ſcelera eorum, qui non cõuertuntur perfidiam excuſent omnino, an verò in partem tantum eleuent, id nos, vt alterum illud, in medium relinquimus.

XII.

Vtcunq; res habeat, ſi Inſulani homines Euangelij prædicationem obſtinato animo audire detrectant, aut auditæ morẽ gerere recuſant, non ob id tamen fas eſt eos, aut bello impetere, aut rebus; quas poſsident exuere, aut alio quocunq; modo, aut ratione male excipere. Nã præterquam quòd coacta ſeruitia Deo non placent, credereq; opus ſit animi, perindè ac ſperare & diligere penitus liberũ: eſt etiã bellũ, & quæuis alia vis extrinſecus oblata ineptiſsimum ad perſuadendã fidem antea nunquam receptã, argumentũ: vt quod multò aptius ſit ad concitandum implacabile in religionẽ Chriſtianã odiũ, ac ſtomachum, quàm vllum omnino amorem, aut animi ſtudium.

XIII.

Vnde mirandum eſt quoſdam, viros alioqui pios, & eruditos in eam ſententiam deſcendiſſe, vt exiſtimarent, non irreligioſè facturos Chriſtianos principes, ſi minis, atq; terrorib. purè infideles ad fidẽ cõpellerent: eſt enim immane ſacrilegium, apertiſsimaq; ſacrorum prophanatio, diuino, naturali, ac humano iure ſeueriſsimè inhibita, per vim ſimpliciter inuitos ad Chriſtiana myſteria adigere.

XIIII.

Et vt nefas eſt infidelibus, ob ſolam infidelitatis cauſam, bellũ inferre, ſuaſúe ſedes, vel facultates adimere, ita nephas quoque eſt, & ſcelus manifeſtum, propter aliud quodcunq; flagitium, quantumlibet graue, ac iuri naturali aduerſum, quouis ipſos modo infeſtare: dum modo tamen eiuſmodi flagitium in apertam innocentium,

aut

aut ſacrorum, aut aliorum eiuſmodi iniuriam, perniciemúe non redundet.

XV.

Exponam hoc clarius: certum eſt ſi pagani Chriſtianorum terras, vel prouincias occupant, vel vt occupent, enixè laborant: ſi iuſtũ eorum imperium, quibus obnoxij ſunt, recuſant: ſi peregrinationes, nauigationes, negotiationes, aliaq; eiuſmodi ciuilia commercia, naturali & gentium iure omnibus ex æquo permiſſa, per vim impediunt, aut impedire contendunt: fas eſſe hominibus noſtris, non ſolùm vim vi, cum inculpatæ tutelæ moderamine repellere, verùmetiam illatam iniuriam, vel damnum exigere. At diligenter hic interim animaduerſum oportet, ex innata ne feritate in noſtros inſurgant, an ex iuſto metu: nam ſi ſolo metu inſurgerent, non vindicta, ſed moderata tantum defenſione in ipſos vti liceret.

XVI.

Vtcunq; tandem, vel vndecunq; impellantur, ſi omnibus pacis vijs, & medijs: ſi omnibus amicitiæ, beneuolentiæ, ac humanitatis rationibus tentatis, noſtris apud eiuſmodi Barbaros tutò agere, ijſq; cõmodis, & immunitatibus, quæ iure gentium communia ſunt hoſpitibus cum incolis potiri non licet: nec alia interea ſecuritatis ratio ſe offert, quàm ſi expugnatis eorum præſidijs & oppidis, in ordinem redigantur, ius erit noſtris, non ſolùm armis & arcibus contra ipſorũ vim, atq; iniuriam ſeſe munire, verùmetiam ipſos bello impetere, impetitosq; & debellatos imperio ſubiugare: imo verò tanquam perfidos hoſtes capere, ſpoliare, & in ſeruitutem redigere, aliaq; omnia, quę belli ratio fert, in ipſos decernere. Nam ſi hæc & ſimilia in perfidos & refractarios Chriſtianos exercere licet, cur non in Barbaros & infideles?

XVII.

Porrò autem quod Chriſti ſacris initiatis ius ſit, niſi domeſtica lege inhibeantur, in Barbarorum ditione peregrinari, morari, negotiari, & tũ quibus ipſi abundant coëmere, & aliò exportare, ea contra, quibus ipſi deſtituũtur importare, ac vendere: aliaq; id genus cõmercia inoffenſe, hoc eſt citra vllum ipſorum damnum, vel incommodum exercere, id diſputationem nullam habet: ſiquidem in eiuſmodi rebus ea omnia Chriſtianis hominibus licent, & licuerunt ſemper, quæ licent, & iam inde á mundi exordio, citra vllam exceptionem, aut legum inhibitionem, licuerunt omnibus gentibus, & nationibus:

adeoq́;, vt hic ponimus, nulli mortalium detrimentoſa ſunt, vel onerosa, vt multis etiam ſint neceſſaria, omnibus autem vtilia, & cumprimis ſalutaria: atqui eiuſmodi ſunt ea omnia, quæ modo commemorauimus. Quod ſi quæ principũ infidelium leges in Barbarorũ territorijs extant, quæ huiuſcemodi commerciorum vſum damnent, vel inhibeant, illæ vtiq; non ſunt leges, ſed legum laruæ, & corruptelæ iuri diuino, ac naturali apertè cõtrariæ. Vnde neq; populum ſubiectum, nec ipſos etiam exteros, & peregrinos in ſecretiori animæ foro ligant.

XVIII.

Et vt Chriſtianis, ad modum iam expoſitũ, poteſtas eſt apud infideles commeandi, commorandi, conuerſandi, ac negotiandi, ita libera quoq; ijſdem facultas eſt Euangelium apud eoſdem prædicandi, eaq;, quæ ſalutis ſunt publicè edocendi. Nam præterquã quod iſthęc multo maioris momenti, multoq́; maioris neceſsitatis ſunt, quam cętera omnia, quorum hactenus meminimus, habent etiam peculiare Chriſti Domini noſtri mandatum, ait enim: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Certum eſt autem nõ ad ſolos Apoſtolos, reliquosq́;, qui tunc aderant, hoc Chriſti mandatum ſpectaſſe, ſed ad omnes legitimos eorũ ſucceſſores, omnesq́; prætereà illos, quibus ſuas illi ea in re partes delegarent.

XIX.

Quare ſi ſummus Pontifex, vel alius authoritate pollens, ad Barbarorum prouincias ſolemnes amandet legatos, Euangelicæq́; legis præcones egregios, legationis cauſa probè expoſita, & intellecta, prouinciarum præfecti, eiuſmodi legatos, diuiniq́; verbi præcones, & adminiſtros humaniter ſuſcipere, patienter audire, efficacibusq́; eorum monitis, & inſtitutis reuerenter obtemperare, diuino, ac naturali iure obligantur.

XX.

Et quamuis ad duo poſteriora, nempe ad hoc vt ſalutis verbum patienter audiant, auditumq́; reuerenter complectantur, & obſeruent, vi cogi non debeant, nec iure etiam queant, poſſunt tamẽ & debent, ſi adhibitæ preces, & minæ ſatis virium apud ipſos non habeant, vi & armis coërceri, ne Euangelij curſum impediant: ne eiuſdem præcones, quo minus ritè, ac ſtrenuè legationis munere fungantur, infeſtent: ne conuerſos ad fidem in fidei odium vexent, aut lædant: ne ad conuerſionem propenſos ab expetitæ fidei, & religionis beneficio,

terroribus

terroribus,ac comminationibus abſterreant: ne vllum deniq; aut Inſularium ſaluti,aut religionis propagationi obſtaculum ponant.

XXI.

Imo verò ſi pars aliqua paganorum,licet non admodum numeroſa, ſacris Chriſtianis eſſet imbuta, quam loci magiſtratus vi, minis, vel terroribus, ad abiurandum Chriſtianum nomen compellere elaborarent,fas omne Catholici nominis principibus foret, ſi alia commoda via,vel ratione,conuerſorum ſaluti,et paci conſulere non poſſent,eiuſmodi magiſtratus vi ab imperio, quod in Chriſti iniuriam, & fidei perniciem adminiſtrant, amouere, alioſq; catholicos,vel aliàs idoneos, in amotorum locum ſufficere. Idq; non ſolùm propter cauſam iam expoſitam, verùmetiam propter communem ſocietatis legem: nam hoc ipſo, quod Barbari illi Chriſti familiæ aſcribuntur, Chriſtianorum ſocij,atq; amici efficiuntur: ſocijs autem per iniquitatem oppreſsis, etiamſi ipſi id non petant,opem ferre licere,dubitationem non habet.

XXII.

Quodſi in exiguæ partis gratiam hoc licet, multo ſanè iuſtius licebit,ſi maior Barbarorum portio Chriſto nomina dederit:eſto à principibus, vel magiſtratibus ſuis ob receptam fidem nón ita multum infeſtetur. Nam ſi in fidei fauorem, vxor fidelis liberatur ab infidelis mariti coniugio: ſeruus item fidelis ab infidelis Domini,Eccleſiæ tamen ſerui, ſeruitio: ſubditus Catholicus ab hæretici principis imperio, cur conſimilem ob cauſam, conſimile libertatis beneficium Eccleſiæ authoritate non concedatur Inſulariarum multitudini,in myſticum Chriſti Domini noſtri corpus iam aſcitæ?

XXIII.

Eadem exauthorationis & deſtitutionis ratio locum haberet,ſi paganorũ Tyranni in ſubditos ſuos innocentes ſupra modum deſæuirent,eos mactantes, deuorantes, ſpoliantes,alijſq; & alijs modis aſsiduò diuexantes: ſi quidẽ vnicuiq; mandatum eſt de fratre ſuo:nulliq; non mortalium ab iniqua vi, ab iniuſta nece, ab omni deniq; immerita vexatione, ſeruata ſemper moderatæ tutelæ lege, proximum tueri licet. Veruntamen eiuſmodi Tyrannorum exauthorationes,eorundemúe expulſiones,nec temerè,nec citò fieri deberent:ſed tum demum,cũ nulla amplius ſpes eſſet fore, vt aliquando ab eiuſmodi efferata immanitate deſiſtant.

XXIIII.

Idem, & quidem multo iuſtius liceret, ſi id incommodi ab hoſte quoppiam externo paterentur, nobiſq; vnà cum hoc, aliquo ſocietatis vinculo coniuncti forent. Nam vt Machabęorum exemplo, fas eſt Chriſtianis cū infidelibus ſocietatis fœdus, certis quibuſdam legibus, contra Turcos, & alios infideles inire, ita Dauidis & Abrahami facto, nefas ijſdem non fuerit, ſocijs infidelibus, contra infideliū vim ſuppetias ferre, illatamq; ipſis iniuriā, nō ſecus ac propriā, vlciſci: hoſtiū munitiões, & ciuitates expugnādo, expugnataſq;, ſi ita in pactis erat, in ꝓpriā poteſtatē redigēdo.

XXV.

Ex his planū fit, quonā ſenſu eorū opinio defendi queat, qui propter peccata, quę cōtra naturę legē pagani cōmittunt, bellū ipſis inferri, eorumq; bona deripi poſſe cōtendunt: nō. n. loquuntur de omnib. eiuſmodi peccatis ꝓmiſcuè: ſed de ijs tātùm, quę cōtra innocētis animę, vel corporis ſalutē cōmittuntur, vel in Chriſtianę religionis iniuriam deſignant.

XXVI.

Quod ſi verò indiſcriminatim de omnib. loquuntur, & Scripturę, & rectę rationi diſſentaneè loquunt: utręq;. n. neq; per infidelitatem, neq; per vllū aliud peccati genus regna, aut iuſta rerū dominia amitti haud obſcurè oſtendūt: Nā & Saul, & Dauid, & Salomō, & Roboā, & Pharao, & alij eius ordinis cōplures veri nominis Reges, & Principes fuêre, & tamē quidā ex illis inſignes peccatores, alij, præter hoc etiā idololatrę, & infideles extiterūt. Apoſtoli pręterea nō ſolùm fidelibus & probis honorē & obedientiā deferri volunt, verùmetiam improbis & infidelibus. Nec cauſa huius obſcura eſt: ſiquidem hæc omnia iuris naturalis ratione nituntur; gratia autem & fides hoc ius non tollunt, ſed perficiunt.

XXVII.

Sunt qui dicant, vt Deus Opt: Max: ob inſignia Cananęorū flagitia, quę cōtra naturę legē patrabant, ipſos ipſorumq; terras, & ciuitates in Iudęorū poteſtatē redegerat: ita nunc eundem ob cōſimilia morum portenti agentiū regna, & patrimonia in Chriſtianorū Principū ius, atq; ditionem contradere: Sed ſanè, hoc abſq; vlla prorſus lege, & ratione, imo verò cōtra omnē legē & rationē aſſeritur. Nec Iudæi Palæſtinā, tametſi dudum ante promiſſam, alio, quàm belli iure occuparunt. Et vt hi maximè cœleſti donatione, aut alio eiuſmodi titulo terram Canaan obtinuiſſent, hoc tamen nihil ad præſentem controuerſiam: ſiquidem priuilegiū ſingulari Dei beneficio, vni duntaxat populo indultū, citra expreſſum ipſius mandatū, ad alios trahi nō debet.

XXVIII.

Sunt igitur alij, qui alio titulo & colore Chriſtianorū Principū iuriſdi-

riſdictioni ſubijciant barbaras illas gentes: confingunt enim ipſos eſſe vecordes, ſtolidos, natura ſeruos, qui ſeipſos regere, nec ſciant, nec valeant, atq; ideo Papā, vel Imperatorē, tanq̄ vniuerſales orbis Dominos, per ſe, vel per alios idoneos, de ipſis, prout viſum fuerit, diſponere poſſe: præſertim cum ipſorum Inſularium vtilitas hîc quæratur, & ſpectetur potius, quàm priuata Papæ, vel Imperatoris, vel eorum, quos ſuo ipſi nomine ad eiuſmodi prouincias tam remotè poſitas, & quaſi perditas amandant.

XXIX.

Verum hic quoq; titulus multis modis laborat. Primo enim Inſulani illi, nec pueri ſunt, nec amentes ſunt, nec natura ſerui ſunt: Nā & Reſpub. habent, & leges, & pacta, & cærimonias, & alia id genus ſimilia, quorū omniū omnino nihil haberent, nec colerent, ſi omnes mentis expertes degerent. Sed et plurimi quoq; eorū, vt formidandum eſt, adultiores iā facti, in peccatū & animæ mortē inciderūt: atqui peccatum deliberato rationis actu cōſtat. Et vt Inſulani illi tales omnino forēt, quales eſſe cōfinguntur, nō ob id tamē rerū ſuarū dominia amitterēt: vt quæ nō ſolùm hebetiſsimis quibuſcunq; cōueniant, verùmetiam pueris, & mente verè captis: ſed ſolum earundem œconomiam, & adminiſtrationem: ex quo hoc tantum conficeretur, curatores ipſis dandos eſſe, non etiam dominos imponendos.

XXX.

Æquè ineptè & falsò in cōmenti huius robur Cæſaris monarchia allegat: Nā ſi quid eiuſmodi cōpeteret Cæſari, aut naturali, aut diuino, aut humano iure hoc ipſi cōpeteret: nō naturali, nam hoc iure omnes ſunt pares, & liberi: nec rurſum diuino, quia ſacræ literæ nullā huius Cæſarianæ monarchiæ mentionem faciunt: ſed nec in tot diſtincta regna atq; imperia vnū illud orbis imperium diſcindere licuiſſet, ſi diuini iuris ſanctione cōſtitiſſet abſolutè: nec deniq; humano, quia nec donatiōe, nec emptiōe, nec permutatiōe, nec electiōe, nec ſucceſsione, nec alio ſimili titulo: nec etiā lege aliqua, quia nulla talis lex profert, aut ſi qua eiuſmodi profertur, nullā tamē eā vim obtinet, vt quæ nec vſu ſit cōfirmata, nec ab eo, qui orbis Dominus eſſet, lata. Et vt maximè donetur mūdi Dominū eſſe Cæſarē, adhuc tamē, quia hoc ipſum nō eſt per proprietatē, ſed tātùm per iuriſdictionē, nō poſſet ꝑ libito ꝓuincias, aut prouinciarū facultates in ſuā poteſtatē redigere. Deniq; nō maius ius habet Imperator in Inſulanos, eorūue Principes & magiſtratus, q̄ in Reges & Principes Europęos, imò forte minus: quantū aūt regnū in eos habeat, bella, quę in Romano imperio non infrequenter acciderunt, ſatis declarant.

XXXI. De

XXXI.

De vniuerſali, & temporali Pontificis maximi imperio, nõ eſt quod multis hoc loco differamus; eſt namq; confeſſæ veritatis ipſi in temporalibus eiuſmodi vniuerſale, ac abſolutum regnum nequaquam cõuenire. Nam prætereꝙ̃ quod nullum ius, nulla lex, aut conſuetudo hoc ipſi tribuat, ipſe quoq; in ſuis diplomatis, & ſanctionibus diſertè hoc ipſum negat. Succedit quidem ille Chriſto, non tamen in poteſtate excellentiæ, aut prærogatiuis perſonæ: atq; ideo licet Chriſtus terrenum ſortitus fuiſſet regnum, & illud vniuerſale: quod tamẽ ipſe inficiari videtur, ait enim: Regnum meum non eſt de hoc mundo: non ideo tamen regni huius ius neceſſariò in Papã deſcendiſſet. Habet nihilominus Papa maximam, imo verò omnem in temporalibus poteſtatem: ſed id non ſimpliciter, nec abſolutè, nec directè, ſed tantùm in ordinem ad ſpiritalia, quatenus videlicet illa ad ſpiritalium cõſeruationem, vel propagationem ſunt neceſſaria, vel admodum etiam vtilia.

XXXII.

At dictum eſt illi, inquis: paſce oues meas, paſce agnos meos. Næ: ſed interim infideles actu, non ſunt oues Papæ, tametſi olim futuræ credantur: nec enim adhuc vnus omnium ouium eſt paſtor, & vnum ouile. Vnde etiã leges pontificiæ, niſi quæ forſan ex his naturalis iuris interpretes exiſtant, infidelium cœtum nihil quicquam obligant. Sed & poſito, quid enim vetat? ex æquo fidelium & infidelium patrẽ, Principem, ac Dominum eſſe Pont: Max: adhuc tamen, vt Chriſto initiatos propter peccata, quæ contra ius naturæ committunt: cuiuſmodi ſunt ea omnia, quæ contra legem Decalogi patrantur, nec per ſe, vel per alium rerũ ſuarum dominio ſpoliat, nec iure forte ſpoliare poteſt, ita nec infideles quoq;: imò minus hos, vt qui remotius ab eius regno & ditione diſtent.

XXXIII.

De inuentionis, & voluntariæ electionis titulis, quos in Chriſtianorum principum fauorem adulatoriè quidam hûc aſſumunt, nihil hoc loco diſputamus: conſtat namq; nullam prorſus inuentionem ibi locum habere, vbi nulla rerum antegreſſa eſt perditio, aut iactura: hoc eſt, vbi omnia ſana, & integra in verorum, & legitimorũ Dominorum poteſtate habentur: nullam rurſum voluntariam electionem, vbi vis, metus, error, vel ignorantia intercedit: Vtrum autem apud Inſulares hæc interceſſerint, aut etiam nunc intercedant, nec ne, id non eſt huius loci definire.

XXXIIII. Etſi

XXXIIII.

Etſi verò Catholici Principes, ſpontanea electione, vel iuſta partiũ inter ſe pactione, ad infideliũ gubernationẽ aſſumi poſsint, & vtiliter nonnunquam aſſumantur, infideles tamen, quantũlibet probi & in reb. adminiſtrandis induſtrij, in Chriſtiani populi rectores nunquam inſtitui debent. Imo verò ſi qui tales iam ante inſtituti compererentur, quacunq; tandẽ infidelitatis ſpecie illi laborarent, publica authoritate interpoſita, ſtatim amoueri deberent, modo tamen ſtatim abſq; ſcandalo, & populi offenſione fieri id poſſet.

XXXV.

Nam etſi quotidiana cum infidelibus commercia tuta eſſe valeãt, cõmuniter tamen periculo non vacant: vnde etiam Iudæis ſeuerè interdictum legimus, ne vlla cum Cananæis connubia miſcerent, vllaúe cum eorum ritibus, & cæremonijs conſortia haberent.

XXXVI.

Quin ipſa etiã Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, periculo edocta, non omnibus fidelibus promiſcuam cum infidelibus conſuetudinẽ permittit: ſed validioribus, & in fide Catholica adultoribus tantum. Et vt Eccleſia ea de re nihil omnino cauiſſet, ipſa tamen periculi vis, & rationis lex, imbecilliores per ſe, ab huiuſcemodi commercio, & conſuetudine abſterrere deberet.

XXXVII.

Et quoniã ſcripta nõ minus mouẽt, nec leuius imbecilles animos mordent, quàm verba, imo verò interdũ acrius, nõ ſolùm ab Hereticorũ & Iudæorũ neceſsitudine, ac familiaritate abſtinendum eſt, verùm etiã ab eorundẽ libris, & cõmentarijs: præſertim verò ab his, quæ apertè blaſphema, cõtra Dominũ, et Chriſtũ eius dicteria ac dogmata continent.

XXXVIII.

A paganorum & Iudæorum ritibus, & ſolennitatibus homini Chriſtiano feriandum eſſe, in dubium non cadit: quippe quæ ne ipſis quidem, dum inter Chriſtianos ætatem agunt, aliter, quam rarenter, ac ſobriè admodum permittendæ ſunt.

XXXIX.

Verum etſi Eccleſia Iudæorum ritus, qui clarum fidei noſtræ teſtimonium perhibent, & aliorum quorundam ſuperſtitiones, ne in altero peccetur grauius, indulgenter ferat, non ideo tamen, qui hos, vel illos vſurpant, à peccato immunes ſunt.

XL.

Quid? quod non iſti ſolum hic peccent, ſed alij etiam omnes, qui ea

C ipſis

ipſis adminiſtrant,vel conficiunt,quæ ad infidelitatis vſum,ac fomētum tantùm conducunt: vt ſunt idola, ac delubra, vbi ſuilli idolomaniam exercent, aliaq́, his cognata, quæ videlicet idolatriæ tantum deſeruiunt. Imo verò eo grauius hi illis hîc peccant,quo hi certius male ea in re ſe facere intelligunt;quam illi: Nam idem peccati genus,ſi cætera exæquatur,grauius cenſeri ſolet, in fideli & Chriſtiano; quàm in infideli,& pagano.

XLI.

Secus res habet,dū ea ipſis venduntur,aut alio titulo adminiſtrantur,quæ promiſcuum, hoc eſt bonum,& malum vſum recipiunt, etiamſi qua ſuſpicio non deſit,fore, vt in ſuā illis perniciem,diuinamq́; offenſionem abutantur. Verum ſi res certa foret,nullo modo deceret; nec etiam liceret,ea ipſis ſuppeditare,quibus certò ſeipſos conficiant. Quis enim illum à ſcelere excuſet, qui illi venena vendit, aut arma miniſtrat, quem certò ad ſcelus patrandum paratū acceſsiſſe cognoſcit?

XLII.

At verò licet opera illa ſuperſtitioſa;quibus infidelis idolum colit; cæteraq́; omnia,quæ in idoli cultum, tanquam in vltimum finem refert,mala ſint;nec,vt eiuſmodi,bona eſſe queant, reliqua tamen, quæ ex ſe honeſta ſunt, vel ſi ex ſe ἀδιάφορα ſunt,in aliquem tamē honeſtum finem referuntur, ea non ſunt peccata, ſed veris virtutum actibus cognata:atq; ideo Deo grata,tametſi non ſimpliciter:vnde etiam vita æterna non remunerant, ſed aliquo tantum momentaneo commodo. Quare qui omnes omnino infidelium actus peccaminoſos ſtatuunt, non ſolùm veritati, verùmetiam D. Auguſt. quem hîc tamen pro ſe ſtare arbitrantur,apertè contradicunt.

XLIII.

Quemadmodum Iudæi vel Pagani, ad fidei doctrinam inuiti non ſunt compellendi, ita nec ipſi, nec ipſorum quoq; paruuli per vim, hoc eſt apertè reclamantes, vel ob metum in conſtantem virum cadentem illatæ vi cedentes, animo tamen abſolutè diſſentientes,ad fidei Sacramentum ſunt adigendi: Quod ſi ſecus fiat,nec Sacramentū; nec rem Sacramēti ſuſcipiunt,atq; ideo in eo ſtatu baptizati,ad legis Euangelicæ obſeruationem cogi nullo iure poſſunt.

XLIIII.

Et quidem hoc ad ſolos adultos relatum extra omnem controuerſiam eſt poſitum: verum quia non penitus incredibile eſt,infantes eorum,qui ipſis inuitis & reclamantibus, ſacris aquis ablūtur, vtrumq;, & Sacramentū,& fructum quoq; Sacramenti verè ſuſcipere, adultiores

tes facti, vt ſub Chriſtianæ militiæ ſignis perſeuerent, ſi hinc forte reſilire vellent, ſimpliciter compellendi ſunt. Idem de ipſorum parentibus, per vim quidem, vel metum baptizatis, nullo tamen, dum initiarentur, inuitum animum ſigno prodentibus, ſtatui poteſt, & debet.

XLV.

Quodſi Barbarorum, & infidelium infantes, ad ſeruandam fidem ipſorum nomine pactam, vbi adoleuerint, compellendi ſunt, quanto magis Chriſtianorum liberi, ad adultam iam ætatem euecti, ſi qui forte ex his retrò abire vellent, adhoc adigendi erunt?

XLVI.

Eſt igitur error pudēdus planè ac nefarius, aſſerere paruulos Chriſtianorum baptizatos, cum adoleuerint interrogandos eſſe, ratum ne id habere velint, quod patrini ipſorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt: & vbi ſe velle reſponderint, ſuo arbitrio relinquendos eſſe, nec alia interim pœna ad Chriſtianam fidem compellendos, niſi vt ab Euchariſtia, & aliorum Sacramentorum vſu arceantur, donec videlicet reſipiſcant.

XLVII.

Et hæc breuiter, & generatim tantùm de infidelibus & infidelitate dicta ſufficiant: nā ſpeciatim de Paganis, Iudæis, & Hæreticis, (ſiquidē hæ ſolæ infidelitatis ſpecies aſsignari conſueuerunt, nam à fide apoſtaſia non eſt peculiaris infidelitatis pars, ſed aggrauans tantùm circumſtantia) differere, nimis prolixum foret. Veruntamen quod is hoc tempore, cum in Germania, tum alijs quoq; in locis, atq; prouincijs hæreticorum ſit prouentus, eaq; eorundem impudentia, vt permulti hæreſeos ſectæ ue, quam profitentur, nomine mirè, tanquam de reſanctiſsima ac honeſtiſsima ſibi blandiantur, de hæreticis, corumq; origine, ac ſcelere, alijsq; conſimilibns pauca ſeorſum hic proponenda ſunt.

Sub præſidio Th. Peltani, publicè defendit Pa. Vizanus.

QVÆSTIO VESPERTINA,

quam, eodem Peltano Præſide & Promotore, tuebitur D. Candidatus.

CVm eorū hodie valdè magnus ſit numerus, qui pleraq; omnia fidei myſteria unà nobiſcū credūt, et de

paucis quibuſdam pertinaciter, aut diſſentiunt, aut dubitant: non abs re in quæſtionem deuocatur, num hi propterea fidè catholica excidant uniuerſa, an nihiloſecius eam retineant, ſi non de omnibus, certè de plæriſq;.

CONCLVSIO.

O *Timothee depoſitum cuſtodi deuitans prophanas uocum nouitates, et oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. 1. ad Timoth. 6.*

Habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus Hymenæus eſt & Alexander. 1. ad Timoth. 1.

Hæreticum hominem poſt unam et ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, ad Tit. 3.

Aſſerendum eſt non modò infidelitate, per quam et ipſa fides amittitur, ſed & quocunq; alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iuſtificationis gratiam amitti. Con. Trid, Seſſ. 6. cap. 15. Omninò igitur quemadmodum unumquodq; peccatum mortale Charitatẽ & gratiam, ita quælibet hæreſis, cum ſit infidelitas, fidem extinguit. Unde etiam conſequitur, quod Hæreticus tametſi pro Chriſti confeſſione mortem oppetant, uerus tamen Chriſti martyr minimè efficiatur.

De hæreſi tertia infidelitatis ſpecie. Pars diſputationis tertia

Theſis I.

Tertia

TErtia infidelitatis ſpecies cùm Chriſto, qui veluti quidam credendorum omnium finis eſt,adhærere profiteatur,interim verò media,ſiue ea,in quibus huic fini per firmũ & indubitatum aſſenſum adhærere oportet,non amplectatur omnia,ſed priuato iudicio ſubnixa ex his agnoſcat vnum,alterum reſpuat: meritò nomen ab electione ſortita eſt,& hæreſis nuncupata.

II.

Quanquam enim & cæteræ infidelitatis ſpecies paſsim ab authoribus Chriſtianis vocẽtur hæreſes ac ſectę, imò alicubi & fides noſtra Catholica ſic appelletur: ſit tamen illud quidẽ minus propriè,hoc aũt ex ſola loquendi conſuetudine inimicorum crucis Chriſti.

III.

Quippe hæreſis ſectaue dici poterit Paganorũ,Iudæorumq; diſciplina, equidem non propterea, quòd Chriſto eiusq; vniuerſæ doctrinæ credere certũ illa & conſtitutũ habeat, & interim verò praua quadam electione ĳs,quæ nõ è Chriſto tradita ſunt, ſed à ſtulta mẽte ſuggeſta, conſentiat, (quę ſtrictior & magis propria eſt hæreſeos ſectæq; in rebus fidei notio) verùm propterea,quòd nõ per voluntatem Dei, ſed per ſolam hominis voluntatem iudiciumq; conſtet atq; recipiat.

IIII.

Fides aũt Catholica cùm nõ ſit inuentũ aut cõmentum noſtrũ,ſed proponatur nobis diuinitus, cumq; in ea nihil opinemur pro arbitrio noſtro,ſed primam veritatem Deum,quocunq; trahit retrahitq;, ſequamur, vtiq; ipſa neq; ſecta,neq; hæreſis vel modo etiam illo minus proprio rectè à quoquam vocabitur.

V.

Porro ſi hæreſis,qua,qui tenentur irretiti,hæretici dicuntur,definienda nobis ſit, verè & breuiter eam videmur poſſe definire, hominis profeſsione Chriſtiani,contra fidei Catholicæ veritatem,pertinacem errorem.

VI.

Ex quib.definitionis verbis ſatis liquet,eũ qui religionis noſtrę ſacra prorſus eiurauit,neq; amplius etiã Chriſto fidẽ vult habere,hæretico gregi minime, ſed Paganorùm, vel Iudæorum debere accenſeri.

VII.

Nam quod homo per multiplicationem hæreſum non deſinat eſſe hæreticus, quòd item apoſtatæ vt hæretici puniantur,non efficit apud nos,quo minus apoſtaſiam hæreſin eſſe abſq; vlla dubitatione negemus,quicquid efficiat apud recentiores nonnullos,qui apoſtaſiã eſſe hæreſin contra ſententiam communem ſe putant demonſtrare.

VIII.

Fidei Catholicæ veritatē vocamus, quicquid vel ſacrarū literarū authoritas, vel Catholicæ & Apoſtolicę Eccleſiæ definitio, vel eiuſdē conſtans & perpetua traditio credendum tenendumuè proponit.

IX.

Pertinaciā verò non ex mora temporis, ſed ex animi ſenſu diiudicari volumus. Si quis. n. placitum aliquod ita arripiat, vt quanquam Catholicæ fidei repugnare animaduerterit, tamē ab illo diſcedere nolit, an nō is quantumcunq; minimo tempore in eiuſmodi propoſito verſetur, verè eſſe peruicax & obſtinatus conuincetur?

X.

Quodſi aliquando, vel dictum, vel factum externū, etiā citra pertinaciam hæreſis vocatur, ſciendū id ſecundū perfectā, ac cōſummatā hæreſis rationem non fieri, vtpote quæ non minus, quàm perfecta, & conſummata hæretici ratio pertinaciam requirat, contrà quàm ij exiſtimant, qui nullo efficaci argumento adducti plus in definitione hæretici, quàm hæreſeos ponere ſolent.

XI.

Tàm interna itaq; cum ſit hæreſi mentis obſtinatio, conſequens ſit, vt ſi qui inſcienter contra regulam fidei ſententiā aliquam falſam & peruerſam tuentur, errarēt quidem, verùm extra omnem prauitatis hæreticæ notam, aut culpam ſaltem grauem.

XII.

Vt adeo cum D. Auguſtino vir Catholicus rectè dicturus ſit: Errare poſſum, hæreticus eſſe non poſſum.

XIII.

Annon autem, quia hæreſim errorem definiuimus, hæreticus etiam eſt, qui de aliquo fidei dogmate definitum iudiciū nullū ędit, ſed tantùm dubitat? Omnino & hic, ſi pertinaciter dubitat, hæreticus eſt. Imò & qui ex ignorantia id, quod fidei nō eſt, fidei eſſe putat, & ambiguum tamen, aut falſum habet, hoc crimen minimè effugit.

XIIII.

Quæ ita eſſe, vt dicimus, ſatis oſtendit illa erroris definitio apud D. Auguſtinum in Enchiridio. Errare eſt verū putare, quod falſum eſt, falſumue quod verum eſt, vel certum habere pro incerto, incertum verò pro certo, ſiue falſum, ſiue verum ſit.

XV.

Hæreſim cauſſæ variæ progignunt, vt malorū incentor Diabolus, qui pro ſuo immani in mortales odio nunquam non in fraudem &

per-

perniciem eos conatur impellere, philautia, amorue ſui nimius, gloriæ cupiditas, inanis famæ ac nominis titillatio, paſtorum, omninoq; eorum, qui fidem Orthodoxam tueri ac propagare debebant, ignauia, inſcitia, improbitas: ſacrarum ſcripturarum deprauatio & prophanatio, quæ maximè contingit per iſtam Bibliorū in linguas vulgares tam vulgarem translationem: innumera grauiſsimaq; populi peccata, auaritia, inuidia, æmulatio, alios, præcipue verò Eccleſiarum miniſtros, laceſſendi inſectandiq; libido & impunita audacia: deniq; ne iuſto prolixior ſit hæc enumeratio, multa & indiſcreta prophanorum authorum lectio, & frequens cum hæreticis eorumq; ſcriptis commercium.

XVI.

Attamen haud ſine aliqua Eccleſiæ vtilitate hæreſes exoriuntur, quod non obſcurè innuit illud Apoſtoli: Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiāt in vobis. Multa quippe, vt alicubi D. Auguſtinus inquit, ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduerſus eos defendi poſsint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & prædicantur inſtantius.

XVII.

Hæretici (inquit idē D. Auguſt.) aliiq; Eccleſiæ inimici, ſi accipiant poteſtatem corporaliter Eccleſiam affligendi, exercent eius patientiam: ſi tantummodo malè ſentiendo auerſantur, exercent eius ſapientiam: vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam, aut etiam beneficentiam, ſiue ſuaſibili, ſiue terribili diſciplina cum eis agatur.

XVIII.

Deniq; vt compendio quodam rem perſtringamus, ex hæreſum ortu, diuina prouidentia veram, & ſalutarem Eccleſiæ doctrinam illuſtrat, & mundo facit teſtatiorem, in Catholicis zelum pietatis & obedientię excitat, redditq; magis conſpicuū multorum eruditorum ſaporem, ac pigritiam diſcutit, mentem acuit, rerū diuinarū intelligentiam adauget, peccata profligat, paleas excutit, triticum cōmonſtrat.

XIX.

Cuius verò ab hoc hominum genere, vt peſtilentiſsimo ex Chriſti Seruatoris præcepto diligenter nobis cauere debeamus. Attendite (inquit is) à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Quam admonitionem repetiiſſe videtur Diuus Ioannes, dum ſcribit in

ſacra

ſacra Epiſtola. Chariſsimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint, quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum: videndum modò eſt, quibus notis falſos eiuſmodi fratres dignoſcere queamus. Ac ſunt ſanè in Scriptura ſacra, veterumq́; Eccleſiæ doctorum commentarijs typi & indices iſtiuſmodi hominũ non obſcuri.

XX.

Deprehenduntur illi ex ſtudio vitiandi trucandiq́; ſacras Scripturas, & earundem impuris interpretationibus: ex nouandarum rerum cupiditate: ex effrenata deniq; mentis inſolentia, qua præ ſe contemnunt alios omnes, qua eam libertatem ſibi vſurpant, quam cæteris cunctis detrahunt, pronunciandi de ſacratiſsimæ fidei myſterijs, iudicandi vniuerſas antiquorum patrum, quantumuis ſanctiſsimorũ & doctiſsimorum ſententias, conuellendi rejciendiq́; definitiones Eccleſiæ, Pontificum & Epiſcoporum criminandi peſſundandiq́; reſpõſa & inſtituta, & tandem negligendi omnes fraternas correctiones, omnes cenſuras, quæ ſui ipſos erroris commonent, quibus adeò conſueuerunt cedere nihil, vt inde longè euadant deteriores, iuxta illud Apoſtoli: Mali homines & ſeductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes.

XXI.

Hæreſis crimen, quando tam tetrum & tam graue eſt, meritò qui eo ſeſe implicant, pœnis tam Eccleſiaſticis quàm Ciuilibus non leuibus plectuntur, puta excommunicatione, priuatione ſepulturæ in loco ſacro, iuriſdictionis, beneficiorum, officiorum, honorum, bonorumq́; omnium amiſsione, infamiæ, exilio & proſcriptione, morte deniq; ipſa.

XXII.

Sed has pœnas an incurrat etiam, qui hæreſin duntaxat in mente fouet, & necdum opere aliquo externo, dicto videlicet aut facto prodidit, dubitari poteſt. Nobis iuxta cõmuniorem ſententiam negans dubitationis pars approbatur.

XXIII.

Hæreſis contagio ne ad Chriſtianæ reipublicæ perniciẽ ſerpat, ſed verò vt tollatur & extirpetur, pro virili ſua quiſq; Chriſtianorũ eniti debet, nullo aũt maximè is, quem Deus magiſtratus officio, ſiue ſecularis, ſiue Eccleſiaſtici fungi voluit, cum nexu ipſe haud paulò arctiore, quàm alij ad procurandam communem ſalutem aſtringatur. Vbi tamen, vt aliæ ſunt partes priuati, aliæ Magiſtratus, ita alias eſſe partes Magiſtratus Ciuilis, alias Eccleſiaſtici nobis citra hæſitationem conſtare debet.

LAVS DEO.